

EXERCITATIO LXXXVIII. 285

tiùs, vacuatum esse) ex vacuatione nascitur cupiditas ejus, quod vacuationi contrarium est, repletionis videlicet, sed cùm corpus repletionem apprehendere non possit, quia non id ipsum quod patitur, sed quod ei contrarium est concupiscit: superest ut illam ab anima dicamus apprehendi, memoriae adminiculo. Ex ea certè disputatione, cuius summa hæc est, tandem hæc colligit Socrates, Corpus igitur nostrum nequaquam fitire, aut esurire, aut aliquid tale pati, ratiocinatio hæc evincit.

EXERCITATIO LXXXVIII.

*Finis Dialogi, ubi de tertio sensus gradu,
qui est judicium.*

I. **Q**U. De tertio sensus gradu, si quid habes, prome, ut finiamus hunc dialogum. Ro. De hoc tertio gradu, qui in judicio consistit, nihil addi nunc opus fuerit, præter hoc unum, quòd judicium quoque illud sensūs appellatione comprehendatur, id quod exemplum suprà allatum sat is declarat, dicimus enim nos videre baculum, cuius tantùm color oculos afficit, quem colorem judicandi facultas, quæ in anima nostra est, baculo ut subiecto attribuit, for-

R r mando